


PALAE STR A LATINA



Ordinarii et Superiorum permissu



Ad Rmum. Patrem Nicolaum García

*Quinquagesimo recurrente anno
a quo in sacerdotium coeetus est.*

*Distentus nimis apostolatus
Curis, jam cithara supersedebam,
At chordis modo pulverem situmque
Excussi ut modulos canam Parenti.*

*Sacrum lustra decem Deo litasti
Christi perpetuus minister unctus:
O laetus calicem diu salutis
Possis tollere et Hostiam sacrare.*

*Crevit, te duce, Claret Institutum,
Arbor ceu patulans, vigente vere,
Pandens brachia, ubi ima desserentes
Turmatim requiem petunt sub umbra.*

*Tuis auspiciis PALAESTRA nata est:
Hinc vertentibus aureis diebus
Lustralem decies amore et ore
Munus dat tibi gratulationem.*

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Exercitationes scholares

1. — Ludi effectus

1 Homo certe stultus die dominica suos vespere derelinquebat eusumque ibat ad popinam (*taberna*) quandam nomine «SPES». Ibi potabat, ludebat, lucrumque faciebat omnibus fere diebus magnum aut parvum. Infelix credebat fortunam semper ei fore secundam.

2. Uxor tamen saepe ei dicebat: «Dies veniet in qua sine pecunia e popina exies; et tunc unde manducabimus?» Sed lusor erat pessima natura et feminam aegre audiebat eamque percutiebat. Quondam tandem in popina ingressus est. Ad mensam ludi sedet; sed, adversa fortuna, ad assem perdidit. Fraudes tamen sciebat, hisque usus est in proprium commodum.

3. Sequenti dominica ad antrum portorium secundum consuetudinem pergit. Sedet, ludos parat, incipit bona fortuna; sed mox custodes civicos adeunt, eumque fraudulentum, manus post terga revinctum, ducunt in carcerem.

ANDREAS RODRÍGUEZ

V *Cursus* alumnus *Collegii Cordis Mariae*
Barcinone

2. — Canis amicus

Canis animal est homini amicus fidelissimus. Hominem semper comitatur eumque semper adjuvat in periculis. Vel in aegritudine particeps est dolorum, sicut et in gaudio laetitiae. Ipse, fortibus membris, facie nobili, indomito adpectu, ad januam villae domini divitias custodit semperque paratus est ad pugnam adversus latrones et facinerosos. Contumelias domini, quantum potest, ulciscitur, eumque saltibus et blanditiis hilaris delectat.

JESUS MARTÍN

in Coll. Cordis Mariae alumnus
Barcinone

3 — Metellus et Postumius

Cum Metellus, Pontifex Maximus, Postumium consulem eumque flaminem Martis Africam petentem ad gerendum

bellum videret, non passus est, indicta multa, eum a sacris discedere nec ex urbe egredi. Ita evenit ut summum imperium civile religioni cederet, eo quod non opportunum videretur Postumium sese certamini committere, Martis, dei belli, religione deserta.

VINCENTIUS MORENO C. M. P.

Cursus IV

Barbastris

4 — Fabius Dorsus

Eodem tempore Fabius Dorsus Consul servatae religionis memorabile dedit exemplum, nam gallis Capitolium obsidentibus, ne gentis Fabiae sacrificium statutum interromperetur pro gabino ritu cl. ctus sacra objecta umeris manibusque portans, per medias hostium stationes in collem quirinalem pervenit ubi cum omnes, pro more, et ritus et caeremonias peregisset ferme divina gallorum veneratione victor in Capitolium rediit.

EDUARDUS CANALS, C. M. P.

c. IV lat. anno

Barbastris

5 — Nunc quidem intellego

—Johannelle, cur scriptiones scholares hodie non attulisti?

—Quia, domine, conspicilla (*anteojos*) patri meo fracta sunt.

J. MOTA

III cursus

Barcinone

6. — Mater et filius

—Antoni, fili mi, dum ego loquor, tu taceas oportet; audin?

—Recte; exspectabo igitur ut dormitum eas.

A BAGUÉ

III cursus

Barcinone

7. — Janitor et Filius

—Ferone litteras incolis domus?

—Exspecta parumper; nondum enim lectae sunt a matre tua.

M. ARELIANO.

III cursus

Barcinone.

Editorial GRAFICAS CLARET

Lauria, 5 - BARCELONA - Teléfono, 15013

PUBLICA: PALAESTRA LATINA

LA FIESTA SANTIFICADA

La hoja popular más amena e instructiva que se reparte en las Iglesias todos los domingos y fiestas de precepto del año.

Precio: 3 ptas el centenar

Variedad de libros.

Última obra:

MARAVILLAS DE FÁTIMA

por los Rndos. PP. Fonseca-Jiménez, S. J. - Precio: 6 ptas.

FÁBRICA DE MEDALLAS
CRUCES :: DISTINTIVOS
INSIGNIAS :: ETC.

AUSIÓ

PROVENZA, 376
BARCELONA

Cum ametis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis



Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

Apartado 1042. - Lauria, 5. - Teléfono 15013. - Barcelona

Para el Primer Curso:

Historiae Sacrae Compendium
(2.^a ed.) Texto, notas, vocabulario 4 pts.

Para el Segundo Curso:

Epitome Historiae Graecae
(3.^a ed.) Texto, notas, vocabulario 5 pts.

Para el Tercer Curso:

Ciceronis Epistulae Selectae
Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Caesaris de Bello Civili
Texto y notas 5 ptas.

Para el Cuarto Curso:

Ciceronis Pro Archia Poeta
Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

Ciceronis in Catilinam Oratio I
Solo texto latino 1 pta.
Texto, notas, vocabulario 3 ptas.

Para el Quinto Curso:

Virgiliti Aeneidos liber II
Solo texto latino 2 ptas.
Texto, notas, vocabulario 4 ptas.

Para el Sexto o Séptimo Curso:

Prudentii Carmina Selecta
(agotado)

Canto 1.^o de la Odisea
Texto y notas 5 ptas.

Primer Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 3 ptas.

Segundo Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 5 ptas.

Tercer y Cuarto

Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial
(en preparación)

Repetitorium

Libro de prácticas escolares para
las primeras clases de latín.

Contiene:

Programas, Vocabularios, Ejercicios,
Temas, Curiosidades,
Índices

Precio en simil tela 15 ptas.
en cartóné 12 »

Palaestra Latina

Colección completa,
desde Enero de 1930
hasta Diciembre 1942,
en fascículos sueltos 100 ptas.

De próxima aparición:

Horatii Carmina Selecta

Texto, notas, vocabulario

Crispi Sallusti Selecta

Texto, notas, vocabulario

Canto 2.^o y 3.^o de la Odisea

Texto y notas

EN PREPARACIÓN OTROS TEXTOS

-Descuentos especiales a librerías y, en pedidos de consideración, a Profesores y Colegios

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetaram in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

SUMMARIUM: Ad Rmum. P. Generalem, *Martija*. — Exercitationes Scholares. — Palaestra Rmo. P. García. — De erratione Georgii P., *Haberl*. — Cursus Gymnasticus, *Mesa*. — Commercium Epistuiare, *Anedondo-Mir*. — Carmen Romanae Gloriam, *Pozo*. — Adjumenta Grammaticalia, *Mir*, — Nova et Vetera, *Mir*. — In mensem Marianum, *Vargas*. — Colloquium, *Mesa*. — Bibliographia. — Curiosa et Jocosa.

REVMO. P.

NICOLAO · GARCIA

FAMILIAE · NOSTRAE · CLARETIANAE · EMERITO

MODERATORI · SVPREMO

QVO · DIE · SACRVM · PERFICIT · JVBILARE

ANNVM · EMENSVS · QVINQVAGESIMVM

AB · INITO · SACERDOTIO

PALAESTRA · LATINA

LVMINE · QVAM · VIDET · VT · OLIM · VT · NVNC · PLACIDO

AD · MVLTOS · ETIAM · ANNOS

FAVSTA · QVAEQVE · AC · SALVTARIA

VNA · A · DOMINO · ADPRECATVR

De erratione Georgii Pelleterii pueri

X. Sed cur non aufugit? inquires. Cur non discessit ab illis tam pravis hominibus? Quis eum impediret? Interdium, cum ab illis esset emissus per agros ut fruges et olera surriperet, se absconderet in aliqua villa rustica, deinde noctu quam longissime curreret; cum persecutorum petitiones effugisset ad suos daret litteras. Et sane quidem fugiendi consilium identidem menti etiam Georgioli subierat, sed quotiens consideraverat fortunam Tommi, fugiendi attenuabatur voluntas. Nam Tommius ei: Me igitur solum hic relinques? Tecum haec facile patior; sed sine te, solus ut antehac, quid faciam? —Sed tu solus non es, qui patrem hic habeas, habeas matrem. —Sed Tommius responderit, quod dixerat invento quondam Georgio. *Maman, qu'est-ce-ça? Matrem habere ais? quidnam rei mater est?*

Quid significaret dulcis illa vox matris, Tommius intellegere coepit (et cognitum est ex eo, quod ut ita dicam, margo caeli reluxit ex magnis oculis ejus plenis innocentiae) quodam die, cum deprehendit Georgiolum pie intuentem et veluti alloquentem mitem imaginem de quadrula metallica prospicientem. Et re vera quae vox ex illa videbatur prodire imagine, ea sola dabat spem animo pueri tempestate aestuanti. Deiparam intellegere, quo esset animo, illam se caelitus prosequi per mundum errantem, sic ei persuasum erat. Neque vero poterat mater illa, qua nulla esset suavior, non curare preces ex illa foeditate pannorum subsilientis casulae tam teneras plenasque fiduciae ascendentes. Georgiolus sentiebat plane ita esse, et quoties fluctus aegritudinis exundaverant, quantum poterat, animum ab illis, quibus circumdabatur, rebus abstrahebat sic contemplans educum ex interiore sacculo thesaurum suum et pia verba concipiens. In isto difixum obtutu quodam die eum deprehendit Tommius, quo ex die modicum semen allatum vento in intacto adhuc solo brevi egit radices; nam saepissime deinceps suavissimae Deiparae oculi in oculos venerunt illis duobus innocentibus, quos sua providentia docebat artem ignotam tot coriphaeis sapientiae: ascendere ex paludosis hujus terrae vallibus ad virentia caeli arva...

Ex quo rotale tugurium in illa regione constitit, mirum quoddam caput non raro commeavit ad Georgii dominum: homo humilis, robusto habitu corporis, altero crure ligneus. Facies illi foedabatur curta et horrida barba, spinosae simili herbae, in cujus medio hiabat os compositum plerumque in frigidum sardonium risum. Rasputinum vocabat herus et cum propinquantem viderat cum eo egrediebatur versus silvam agrum claudentem, minimeque erat dubium, quin esset, de quo remotis vellent loqui arbitris. Ceterum homuncionis adventu in parva communitate illa statim indubia cernebantur aspersionis signa. max suspiciosus hostilem in modum eum circumibat odorans vel circum caligas extremas braccas, et cum ille calce peteret bestiam, quod fere dare solebat catello signum amicitiae, hic absiliens diu ei oblatrabat. Tommius vehementer aversabatur hominem, et cum is extendebat illud aduncum par manuum, ut mulceret puerum, Tommius fugiebat exclamans veluti conspecta de improvise vipera. Etiam Georgius detestabatur hominem; nam

sentiebat esse ex eo numero, quorum in fronte inscripta est nota flagitiorum oculis perspicua dumtaxat animi.

Quodam die tristiore, dum Georgius in carro adstat aegrotanti Tommio, qui nocte vomuerat, cui tum consopito meliuscule erat, ecce tibi vox Rasputini foris, pauloque post lignei cruris ejus in scalis crepitus. Ascendentem ad ostium currus sequitur herus qui Georgio signum dedit, ut exiret et exeunti praecepit, ad partem oppositam habitationibus se conferret, ubi rapidus praeterfluebat torrens, quo hera solebat portare corbem lavandorum linteorum. Neque prius huc redieris, quam Marusca (id mulieri nomen) umeris imposuerit tuis quod bajules onus —sic post puerum jam abeuntem clamat ex ostio dominus, tamquam si cognoscere vellet discedere puerum. Sed hac ipsa in dimittendo sollicitudine Georgiolus timere coepit, ne quid ab illis duobus homuncionibus inferretur mali Tommio aegrotanti, adeoque ea suspicione angebatur animi, ut jam non posset institutum continuare cursum, sed redire decerneret ad speculanda quae intus gererentur. Paulisper substitit, dum ei constaret se non jam esse in oculis domini; deinde sua relegens vestigia curru, quam potest cautissime suspensoque spiritu appropinquat. Hic vocem audire visus est Rasputini et Tommi gemitum. In majorem etiam adductus suspicionem deliberat, qua ratione observaret quid intus fieret, cum Rasputinus magna voce et italice: Si exire non potest, colloquamur tamen ut non intellegat. Est, ut dicis, inquit herus; illum alterum dimisi; hic quae italice dixerimus non intelliget. Georgiolus interim opportunissime recordatus erat currus pavementum satis larga hiare rima versus machinamentum rotarum. Pedetemptim ergo et humi reptans se illis intulit ferris quae organorum elasticorum instar tugurium sustentabant, complicato sub curru corpore quaesivit locum ejus quam diximus, rimae; hac inventa retinens spiritum auscultat.

Jam tibi confirmo, sic herus dignum adfatur amicum, tibi confirmo non insanire me neque commissurum, a te ut circumveniar; mille francos a te ei nullo dempto flagito. *Rasputinus*. Sed ego non habeo, quos tibi dem francos neque do. *H.* Ad quaestores igitur ducam puerum et rem omnem ponam in medio. *R.* Extrude vero qui te mordet canerum, insulse homo; id ego quidem flocci non facio. *H.* At non erit, nimium cur rideas. *R.* Potius ego tamen, quam tu, ane credis loqui nescire me? *H.* Tunc credis me tacere posse? *R.* Non credent custodes publici, tu quae dixeris. *H.* Sed quae tu dixeris credent. *R.* Si tamen loquar. *H.* Cogaris loqui, quoniam... voce hinc repetit compressa, quoniam ad manum mihi sunt tot argumenta, quo die attulisti puerum... *R.* Novem abhinc annis. *H.* Ita prorsus... Habeo, scies, ephemeridem, habeo illam scidam ephemeridis, in qua tota notatur res. *R.* Ephemeridem mihi memoras? quid ea nuntiat? Verba similia meis. *H.* Ephemeris, illis diebus edita, nuntiat de parvulo puero surrepto in castello Abrincatensi (*Avranches*), filio feminae Anglae, divitis et multum pollutis, quae quingentas libras pollicetur, si quis certa dedisset indicia prolis ex ipsis cunis sublatae in xysto villae die, die... etiam diem denotat. —Dicat etiam horam, exclamat hic homo lignipes. Quanam tu via evinces illum, quem tibi viginti francis vendidi, esse eum ipsum puerum, qui

quaeritur? *H.* Ades animo! Ephemeris indicat etiam signa pueri. *R.* Parvuli die, ejus qui evanuit. Nunc autem signa, nunc ubi invenient signa? *H.* Sunt signa quae puer non habet amplius, sed habeo ego, et sunt in meis manibus securiora, quam in suis. *R.* Quae tandem signa? *H.* Quae mater ejus, si vivat, citius agnoscet, quam tu, qui nihil recorderis. *R.* Vesticulamne dicis? ha ha hae! eamne asservasti? fecisti optume. Est vestis illa, quam solidis ego emi francis quindecim... adeone me stolidum rebare, ut parvulum tibi traderem cum eo, quem tum habebat vestitu? Eum vestitum, ne erres, neque ego habeo jam neque tu habes. *H.* Sed comam quam tum habebat, eam certe tu mutare nihil potueras. *R.* Comam? Tunc ei desecuvisti comam? *H.* Et erat, si forte recorderis, longiuscula, collecta filo aureo, quod tu porcinis istis oculis non videras. *R.* Et ubi tu servas illum thesaurum tuum? *H.* Non credis etiam? Etiamne videre vis?... Credes tamen... Huc adspice!

Et e fissura oculus Georgioli secutus est ad cistam in angulum progredientem dominum, qui rem tardanter quaesitam prompsit eam, quam Georgio videre non contigit, sed satis prodiderunt furentes exclamationes Rasputini. Et haec est ephemeris, inquit herus. Et obtinuit paulisper silentium, quod postea Rasputinus murmurans rumpit: Agedum, inquit, eamus in francos quingentos. *H.* Dixi ego mille. *R.* Et tu mihi postea cedes ephemeridem istasque sordes. *H.* Habebis omnia una cum puero. *R.* Sit ita! Sed da mihi interea istam scidam ephemeridariam. *H.* Dabo cuncta simulatque mille illos repraesentaveris francos. *R.* An tu putas me in sinu hic portare mille illos francos? *H.* In sinu eos portes tuo an ex sinu petas diaboli, nihili mea scilicet interest; habere eos in manu hoc unum curae est. *R.* Habiturum eos spondeo. *H.* Et ego ista te habiturum documenta respondeo, ubi primum pecuniam dederis. *R.* Quinque diebus. *H.* Duc interim tecum puerum. *R.* Quid eo faciam ego, aegrotante etiam? *H.* Et cum convalescit, quid eo facturus es? *R.* Non id agitur; intelligas oportet quid sentiam; necesse est evanescere puerum et ita, nihil ut moveatur suspicionis. Est idem quod sentio ego, inquit submissa voce herus; ex re tua fuerit, ut etiam ingravescat morbus pueri magis, quam ut puer convalescat. Non agitur id quidem, hic stomachatur Rasputinus: non ignoro ego, inquam, quae me liberem inutili onere, neque est cur tu me id doceas. *H.* O foedam hirundinem! Tunc illi sanguinem exsuges ita, ut nulla gutta remaneat? Ecquem vis emere a te puerum? neque enim me stultiorem invenies. *R.* Et cur non tu eum apud te retines? Darem etiam sic mille francos pro istis... *H.* Dixi tibi et scis: non mihi opus est, neque ego volo saturare hominem inutilem, eoque minus quod hic jam coepit esse strenuus comestor. Ego illo altero contentus sum; hic nulli jam est mihi usui. Esto igitur, inquit Rasputinus surgens, loquemur de re post hebdomadam. *H.* Dixisti spatio dierum quinque! — Non vis ei concedere duo ad vivendum dies? dixit in ipso ostio claudus et lento passu descendens scalis cum cachinno addit: siquidem tam breve tempus ei ad vivendum restat.

Et coeperunt a tugurio digredi homines Georgio, qui audierat omnia, adhuc composito subtus, adhuc torpente horrore earum quas compererat rerum.

(sequar)

ANDREAS HABERL, S. V. D.

Cursus Gymnasticus

Ex Historiarum Livii Praefatione

Sed haec et his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine: ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplina velut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est.

Adnotationes ad textum

Et partum et auctum. — Partum imperium ad subactam Italiam intellexeris; auctum vero ad tempus quo urbs Carthago ab Africano minore eversa fuit. (an. 607).

Desidentes. — In quibusdam veteribus editionibus «dissidentes» legebatur. Id est: in diversa euntes nec aequalitatem servantem. Mellius vero *desidentes* a *desido*, quod *descendere* significat et sententiarum gradationi aptius convenire videtur.

En ergo gradatio. Pro se quisque animo sequatur:

a) primo mores velut desidentes (forsitan gracchanarum seditionum tempore, post annum 620 ab U. c.)

b) deinde ut magis magisque lapsi sint (ad bella civilia Sullae et Marti, an. 665).

c) tum mores in praecipites euntes (ad bellum Caesaris civile), donec ad haec tempora perventum quibus nec vitia nec remedia pati possumus.

remedia. — leges sc. ab Augusto latae ad reipublicae mores jam ferme depravatos in pristinum statum restituendos, a romanis tamen vehementer impugatae veluti libertatis interceptio. Cfr. Liv. 34, 49, 3: intermori vehementioribus, quam quae pati posset, remediis civitatem sinere.

Adnotationes grammaticales

haec et his. — Pronomen *hic* ad primam personam refertur et illa designat quae ad eam pertinent et saltem ei proxima sunt loco vel tempore «Hac dextra (mea) eum trucidabo. Ne status hic reipublicae non delectat. His temporibus. (Cfr. «Alma Roma», jan. 1932).

utcumque. — cum indicat. «de cualquier modo se miran o se juzgan».

haud... equidem. — potius quam non equidem saepius a Livio usurpatur.

equidem. — De adv. *equidem* haec apud FORCELLINI scripta reperimus traditusque brevitate: particula demonstrati-

va vocari potest quae ad aliquem certiorum faciendum, ad ea quae dicimus affirmanda vel denique ad vim orationi addendam usurpatur et significat; *quidem, sane, certe*. Apud veteres scriptores, Plautum praesertim, saepe jungitur cum aliis particulis affirmativis vel cum adverbis iurandi: *certe, edepol, ecaster, hercle*. Primitis verborum personis saepe jungitur spectatimque ponitur pro: *quod ad me attinet, ex parte mea*; semperque refertur ad personam quae loquitur. *Equidem* hoc loco verteris: *a decir verdad*.

discrimine. — *No le daré grande importancia.* Discrimen a *discerno* est id quo res una ab alia discernitur, *divisio, separatio.*

«Duo maria pertenui discrimine (*istmo*) separantur». Dicitur de intervallis dentium, de fissura ungulae in quadrupedibus; de divisione capillorum, (*raya del cabello*) sulcorum (*surco*) lucorum (*claros del bosque*) aciei (*espacio entre un cuerpo de ejército y otro*); vocum (*intervalo musical*)

Translate vero occurrit:

a) generatim et ponitur pro quacumque diversitate ac differentia CIC., *Planc.* 4, 9: non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.

b) speciatim *discrimen* dicitur actus vel tempus, *deliberatio*. Cum verbis vero et sensu ab auctore adhibito dicere poteris: res in discrimine est utrum, in discrimen venit, committitur, ruit, cecidit, mittitur, datur.*

mihī. — Dativus ethicus qui in oratione ponitur solius elegantiae causa, habet enim quamdam festivissimam urbanitatem.

Circa eum audiantur RIEMANN LEJAY, (*Syntaxe Latine*, 3 ed. pp. 94-95): «On ajoute souvent au verbe le datif d'un pronom personnel, pour désigner une personne qu'on suppose devoir prendre un intérêt quelconque à l'action énoncée par le verbe; T. Live, 22, 61, 25, «haec vobis istorum per biduum milita fuit».

Hispane quoque dicimus: «Hágase-meles una acogida cariñosa». Quo loco *se* acusat. reflexus est; *me* dativus a *Bello* superfluus appellatus; *les* denique dativus proprie dictus». (Cfr. A. BELLO, R. J. CUERVO, *Gramática Castellana*, (Paris, Blot, 1936) nn. 936-953)

pro se quisque. — *Quisque* est: *omnis, unusquisque, singuli*. Differt tamen ab *omnis* quod cunctos simul significat; «*quisque*» vero distributionem quamdam continet.

Quisque bene adiungitur more encyclopaedicae:

1.º reflexivis et reciprocis: «Pro se quisque quod ceperat offerebat. (CIC., 3 *Off.* 14, 58).

2.º relativis et correlativis: «Quod cuique obtigit, id quisque teneat». (CIC., 1 *Off.* 7, 21).

3.º interrogativis: «statulisti quemque proficisci placeret». (CIC., 1 *Cat.* 5, 10).

4.º superlativis et his quae vim superlativi habent: «postremam quamque navem adoriebantur». (CIC., *de Supplic.*, 34, 90) «*excellencia quaeque* libavimus», *Quisque* superlativo annexum idem est ac *omnes* cum positivo, addita distributionis significatione: *optimus quisque* (los más sabios), *in optimis quibusque* CIC. Cfr. MENGE: *Repetitorium der lateinischen Syntax*, n. 209.

5.º ordinalibus, ad distributionem significandam: «septimus quisque dies sacris faciendis est dicatus».

6.º *N. B.* *Quisque* significans «quilibet» non est optimae latinitatis.

domi militiaeque. — Exemplum habes pristini illius casus: *locativi*, cuius erat locum posteaque tempus (ubi et quando) designare quo quid vel actum vel agendum. Locativus singularis apud Latinos in *e* vel *i* desinebat, uti videre licet in verbis: *domi militiaeque*.

Cfr. etiam: a) *Ubi: Romae, Lugduni, hūi, ruri, peregrī*, et forsitan *animi*.

b) *Quando: belli, vesperi, luci, heri, temperi, die quinti, die crastini, pridie, quotidie*, etc. Quae quidem plurimis exemplis illustrata videbis in: *Grammaire Élémentaire de la Langue Latine* par J. M. GUARDIA et J. WIERZEYSKI (Paris, Durand, 1877) et RIEMANN-LEJAY, op. cit. pag. 132-133.

tum ire... — *Tum* est adv. et etiam conjunctio; hic vero conjunctio et designandae rerum successioni vel ordini aut illis enumerandis inservit. Significat: *dein, deinceps, praeterea*; et conjungitur saepe cum *primum, deinde, postremo* et similibus CIC., 4 *Catil.*, 3, 5: «*Primum* quod mihi gratias egistis; *deinde* quod Lentulum, ut se abdicaret praetura, coegistis; *tum* quod eum et ceteros in custodiam dandos censuistis».

CAROLUS MESA, C. M. F.

Commercium epistulare

Henricus Anedondo S. J. Rdo. P. Josepho M.^a Mir C. M. F.

«Palaestrae Latinae» Actuario optimo pluribus verbis salutem.

Cum his nostris diebus tantis quassetur temporibus Roma, acrius forte quam nunquam antehac, ut si per Dei providentiam liceret videatur jam penitus interitura; minime alienum putavi aeternas ejus laudes novo carmine amplificari. Quod, quia unus de discipulis satis apposite, ut credo, diserteque sit exsecutus, ad vos id mittendum censebam, nam si dignum existimabitur quod in vestra «Palaestra» locum aliquem obtineat, satis ei et mercedi laboris erit et laudi.

Scito etiam carmen aptari posse numeris Hymni in Romam a Salvatore Puccini compositi, quos si tantum poposceris, tibi libenter mittemus.

Dabam apud Collegium Sti. Stanislai, in Aranjuez urbe, a. d. IV Id. Majas.

Jos. M.^a Mir C. M. F. Henrico Anedondo S. J. Sal. pl.

Inter discipulos talem musarum cultorem te erudire summo opere et miror et gaudeo. Fidibus impiger insistat et alia carmina condat recreetque lectores nostros.

Candidum tuum teque consequimur imo pectore percussi dolore aeternam lugentes Romam, catholicorum sedem et arcem; ut illam Dominus incolumem servet precemur.

Ut nostri alumni «romanum» carmen suavius gustent, musicos numeros, quos mittendos promittis, mitte benigne, amabimus. Valet.

Barbastro, XVI kal. junias.

Carmen Romanae gloriae

Romulae gentis, validum vigorem
Poenus agnovit populique saevi,
Quamque vitricem cecinere saecla,
victa Mycene.

Te senatores cumulantque plebes,
legibus gentes regis ipsa justis,
clarius toto nihil est in orbe
gente togata.

Digna cantari, suboles Quirini,
usque Iberiam retulit Camenas,
unde tot bellas generavit artes
atque poetas.

Juppiter tandem fugit arce summa,
Martyrum fuso satius cruore,
ut Petri verax vigeat cathedra
semper in aevum.

Te, docens orbem Genitrix loquelam,
militum robur decorantque jura,
Martyrum celsa redimita lauro
inclita Roma!

CANDIDUS POZO, S. J.

Adjumenta Grammaticalia

V. INFINITIVUS CUM NOMINATIVO

Infinitivus cum subjecto expresso (vel tacito) in nominativo, — quia idem subjectum in utraque orat. —: Constructio personalis

I. — Adhibetur

1) cum v. *videor, me parere (sensu opinativo)*

Distingue tamen v. *videor (sensu deliberativo), parere bien, oportuno, gusta: id enim impersonaliter effertur cum infinitivo et accusat. subjecto vel simplici infinitivo (raro in subj. cum ut):*

N. B. a) Personaliter etiam usurpatur v. *videor* cum verbis quae servilia vocantur *possum, debeo, soleo*

b) pronomina personalia *mibi, tibi, cet.*, cum eandem expriment personam, quae est subiectum in completiva, omitti possunt

c) in oratione interiecta per particulam *ut* aut pron. relativum, duplicem etiam invenies constructionem et *personalem* (s. *opinativo*) et *impersonalem* (s. *deliberativo*)

3) cum vv. passivis *jubeor, vector, prohibeor, sinor*

N. B. a) constructio *personalis* in oratione interiecta per part. *ut* vel pron. relativum et in participiis invenitur

b) *imperor* cum infinito *pass.* construitur *personaliter*, non tamen cum infin. *ad.*

3) cum quibusdam vv. passivis *sentiendi et dicendi*, in primis: *credor, existimor: audior, judicor, putor, dicor, feror, perhibeor, trador*

N. B. a) Constructionem *impersonalem* postulant locutiones: *memoriae traditur, vulgo creditur et tempora composita: traditum est, creditum, dictum est, erat, et dicitur* si adverbia *vere, recte, non sine causa, cet.* adiecta habeat

b) si verbo *dicitur, dicatur* datus personae (*tibi*) addatur, accusativum cum infinito etiam admittit

c) in conjugatione periphrastica passiva verborum *credo, existimo, judico, puto* *rectius* constructionem *impersonalem* adhibebis

4) non nulla alia verba pass. *sentiendi et dicendi* in temporibus *simplicibus* ferunt constructionem *personalem*, tempora vero *composita* habent constr. *impers.*

N. B. Si oratio infinita verbo *impersonali* constat, *semper constructio impersonalis* adhibenda est, etiam cum verbis sub. 1, 2, 3, 4 recensitis

Tu mihi videris deceptus esse (*me parece que tú*). Omnia Posse nobis videmur (*nos parece*).

Visum est senatui mittere legatos (mitti legatos, ut legati mitterentur) (*pareció bien al senado*).

Videri possum beatus esse (*puede parecer que yo s. f.*)

Amens (mih) fuisse videor.

Auditorum animos — *ut mihi visus sum* — commovi (= *infin.*: *visus sum a. a. commovisse*). — *Fac ut (quod) tibi videtur* (lo q. te *parezca bien*).

Decedere jubeor (*se me manda p.*) Legati decedere jubentur.

Romam veni, *ut eram jussus*. Hostes, arma tradere jussi, tradiderunt (*recibida la orden de entregar*).

Captivi deducti imperantur (*Ne dixeris: Imperor facere, sed: mihi imperatur ut faciam*).

Creditur luporum visus esse noxius.

Dicitur, traditur Homerus caecus fuisse.

Traditum est Homerum fuisse caecum. Vere dici potest sacerdotem esse ministrum Dei.

Dicitur mihi tuus servus (tuum *servum*) fugisse.

Negandus est serus deos. (Sed: Inani hoc fecisse putandi sunt)

Gratus esse cognoscor, (*arguor, in simulo, cet.*) Cognitum est me esse gratum.

Dicitur, creditur, videtur, cet. te paenitere... *justum esse, cet. Ne dixeris: Tu diceris te paenitere.*

2) praeteritum infin. notat rem prius factam quam actionem orationis primariae
3) futurum " " " faciendam post actionem " "

ORATIO RECTA

a) credo (nunc).	1) illum scribere epistulam	} ille scribit -nunc.
b) credebam, credid-i, -eram. (tum, eo die)	a) b) c) creó q. él escribía, creó q. escribiera, creó q. escribirá, etc.	
c) credam, credidero (mox, cras).	2) illum scripsisse epistulam	} ille scripsit -tum.
	a) b) c) creó q. él escribió, creó q. había escrito, creó q. tendrá escrito, etc.	
	3) illum scripturum (esse) epistulam	} ille scribet -cras.
	a) b) c) creó q. él escribirá, creó q. habría e., creó q. escribirá.	

B) Cetera vv. orationis primariae, quae *sentiendi* vel *dicendi* non sunt, proprie *tempus non* adsignificant, sed ex ipso orationis sensu est colligendum:

a) praesens infinitivi notat actionem praesentem, praeter., futuram <i>non-ductam absolutam.</i>	Dulce est pro patria mori	} est (=nunc, semper) mori (=nunc, postea) gestit (=nunc) mori (=in posterum)
b) praeteritum infinitivi notat actionem praes., praeteritam, futuram <i>absolutam.</i>	Gestit pro patria mori	
	Eum paenitebit scripsisse	} paenitet (=bodie) scripsisse (=beri) paenitebit (=cras) scripsisse (=bodie)
	Eum paenitebit scripsisse	

III. — Futurum infinitivi

Mutatur in fore (*futurum esse*) ut

1) *necessario* cum verbis supino carentibus
Credo fore (fut. esse) ut linguam latinam discas; credebam fore ut... disceres.

2) adhiberi potest — *et rectius* — pro infinitivo fut. passivo (interdum pro activo)
Spero, (sperabam) fore ut virtus a te ametur (amaretur); spero, sp. virtutem a te amatum iri.

3) ut *futurum perfectum* exprimamus vice orationis infinitivae
Spero (sperabam) fore ut virtutem ames (amares), spero, sp., te amatum (esse) v.

4) pro infinitivo fut. perf. pass. — etiam in deponentibus — adhibetur *participium perf.* cum fore (raro fut. esse)
Spero fore (fut. esse) ut vesperi redieris (q. *habrás v.*). Sperabam fore ut v. rediisses (q. *habrás v.*)

5) ut *futurum perfectum* exprimamus vice orationis infinitivae
Spero brevi rem confectam fore.

6) pro infinitivo fut. perf. pass. — etiam in deponentibus — adhibetur *participium perf.* cum fore (raro fut. esse)
Spero brevi te magnam gloriam adeptum fore.

N. B. a) *Subjunctivus potentialis* (cfr. II, 1'), *praesens* (nemo dubitet), si sub oratione infinita veniat, mutatur in *partic. fut.* cum v. *esse*, et *potent praeteritum* (nemo dubitaret) cum v. *fuisse*; circuitione cum v. *posse-potuisse* utimur

b) *tempora indicativi* (cfr. II, 1 b, 2 b, 3 b) *possum* (*podría*), *optandum est, longum est (seria)* si sub oratione infinita veniunt, mutantur in *infinitivum praesentem*

c) vv. *spero, confido, promitto, minor, juro, cet.*, cum infinitivo fut. construuntur (quia *significationem rei futurae* continent); excipe si cum infin. junguntur *celle vel posse*; sed si rem *praes.* vel *praet.* significare volumus, *infinitivum praes.* vel *praet.* adhibebimus

Intellego me multa dicere posse (q. *podría*). Arbitror optandum esse (q. *seria de d.*)
Juraus si nisi victorem, non rediturum (non posse redire) — Confido te jam valere. Spero te Romam adventurum esse

II. — Tempora infinitivi

Duo casus distinguendi sunt: in A) infinitivus exprimit tempus relate ad orationem primariam, in B) proprie non significat tempus.

A) Si verbum orationis primariae est v. *sentiendi* vel *dicendi*:

1) praesens infinitivi notat rem simul factam cum actione orationis primariae.

IV. — Futurum cum condicione

Orationem infinitivam futuram orationi condicionali subjectum attente considera:

A, 1) fut imperf. (*asegurarás*) a tempore primario pendens. A, 2) *potentiale aseguriarias* respondet futuro. et a tempore hist. pendet (*esperaba*) etc.

A, 1) *Espero q. tú asegurarás la república, si viene Cicéron.*

Act.:	Spero	te confirmaturum esse rem p.	} si Cicero veniat, venerit
	Sperabo	fore (fut. esse) ut rem p. confirmes.	
Pass.:	Spero	rem p. a te confirmatum iri.	} si Cicero veniat, venerit
	Sperabo	fore (fut. esse) ut resp. a te confirmetur.	

A, 2) *Esperaba q. tú aseguriarias, (babrás a.) la rep. si viniera, hubiera v. Cic.*

Act.:	Sperabam	te confirmaturum esse rem p.	} si Cicero veniret, venisset.
	Sperav-i, eram	fore (fut. esse) ut rem p. confirmares, rem p. a te confirmatum iri.	
Pass.:	Sperav-i, eram	fore (fut. esse) ut res p. a te confirmaretur.	} si Cicero veniret, venisset.
	Sperabam	fore (fut. esse) ut res p. a te confirmaretur.	

B, modus irrealis: condicionem non impletam exprimit (*veniret, venisset, confirmares, (cfr. II, III)*)

Praesens: *Espero q. tú aseguriarias la rep. si viniera Cic. (condic. irreal pres.)*

B, 1)	Act.:	Spero	te confirmaturum rem p.	} si Cicero veniret, venerit
		Sperabam	fore (fut. esse) ut rem p. confirmares	
	Pass.:	Spero	rem p. a te confirmatum iri.	} si Cicero veniret, venerit
		Sperabam	fore (fut. esse) ut rem p. confirmares.	

Praeteritus: *Esperaba que babrás as. la rep. si hubiera v. Cic. (condic. irreal pret.)*

B, 2)	Act.:	Spero	te confirmaturum fuisse rem p.	} si Cicero venisset, venisset
		Sperabam	fore (fut. esse) ut confirmares rem p.	
	Poss.:	Spero	fore (fut. esse) ut confirmaretur.	} si Cicero venisset, venisset
		Sperabam	fore (fut. esse) ut confirmaretur.	

C, 1) *Futurum perfectum* a tempore primario pendens, C, 2) a tempore historico

C, 1) *Espero que mañana habrás asegurado la rep. si viniera (vendrá) Cic.*

Spero	fore ut cras rem p. confirmaveris	} si Cicero venerit
	fore ut cras a te res p. confirmata fuerit	

C, 2) *Esperaba q. al día siguiente habrás aseg. la república si hubiese v. Cic.*

Sperabam	fore ut postridie rem p. confirmavisses.	} si Cicero venisset
	fore ut postridie a te res p. confirmata fuisset.	

Nova et Vetera



Mare - Portus

1. — Aestate, dum alii in montibus quietem et aerae refrigerationem quaerunt, alii ad ora maritima se conferre malunt. Quod et nos proximo superiore anno perfecimus, cum oceanus¹ plurimum nos delectet.

2. — Quod ad me attinet, summum percipio gaudium illud immensum aquarum agmen contemplanis quod usque ad caeli circulum² explicatur, atque ingentes vaporinaves in productam navigationem proficisci videns, quas, Americam petentes, conscendunt.

3. — Quapropter pater, qui studia intellegit mea —feriandi causa—, parvulam semper elegit eamque tranquillam oram, ad magnum bellicum portum, sitam.

4. — In superiore nostra commoratione, classis in ancoris pone ingentem aggerem⁴ constiterat qui quidem claudit munitque portum³ militare, atque plura bellica navigia commode perspexi, a minusculo submarino¹⁰ quod demergitur et in aquis subducitur ad ingentem loricatedam⁹ quae, etiam nunc torpedariae navis⁸ incursiones tantum pertimescebat.

5. — Haec autem sollertissime tenuiorem crassae loricae metallicae partem de- tegere novit ut in eam horrendam torpedinem impingat, cujus displosio navigio est exitio; sed haud formidanda erat ut submarinum, cum insectantes-torpedariae eam [torpedariam] faciliter persequantur.

6. — Celoces-aeratas ⁶ concitatas etiam vidi lorica munitas —ut loricatas fere invulnerabiles—, aliquot onerarias, ¹² tres quattuorve tormentarias ⁷ atque liburni- cam. ¹¹ Hujus classis spectaculum cum accingitur ut ancoras solvat, jucundissi- mum est.

7. — Quod vero exstructionis discrimen inter has aeris ingentes moles interest et elegantes trium malorum naves aut celeres veliferas ¹³ —adhuc in re nautica mercatoria in usu—, quas portum subire videbam, passis omnibus velis, cum ad crepidinem ¹⁴ deambularem. Hae nihilominus [naves], cum ventus adversus erat, plura ex commodis amittebant. Omnia vela, ut in navalibus convenirent, contrahe- bant atque opus erat ut remulcus eas prehenderet ut in aggerem ut tenues ponto- nes ¹⁷ deportaret.

8. — Quod autem portui, de quo loquor, jucunditatem confert est illum non tantum portum bellicum magnis laboribus artificiose aedificatum, continere, sed etiam mirum mercatorium portum, ad magni fluminis ostium, positum.

9. — Fauces, quae duo navalia dividunt, munimentorum atque propugnaculo- rum serie quae in mare prominent, firmatae atque communitae sunt. Venia opus est singulari ut per propugnacula ¹⁵ deambules. Eam nullo labore per patrum, qui officinarum navalium ¹⁸ machinator est, impetraveram atque saepius ad videnda na- vigia conveni, quae in amplis receptaculis construuntur.

10. — Praeterea loricatae in aquam deductioni adfui atque permotionis mo- mentum recordor qua perstrieta est turba, cum ingens moles, suae fortunae permis- sa, delabi coepit atque in fluminis aquis fluctuari.

11. — Ut in navalia pergas opus est ut locus exercitorum ¹⁹ percurras, quo praesidii copiae cottidie ad exercitium ludendum conveniunt, atque ponticulus ²⁰ ferreus trajiciendus est qui Campum Martium cum armentario ²¹, conjungit.

12. — Cum patruo illam amplam sedem invisit tormentis, ²² granatis, ²³ py- robolisque cumulatam. Metallorum quoque fabricam ²⁴, ubi vaporinavium calda- ria ²⁵ construuntur, vidi.

13. — Proxime navalia ²⁶ et mirandae moles fluitantes ²⁷ adstant, in quibus he- licem, ²⁸ carinam, ²⁹ navis gubernaculum ³⁰ propius inspexi, in navi quae reficiebatur.

14. — Portus mercatorius adeo jucundus est cognitu ut bellicus, et plures ho- ras, in molibus cessans, consumpsi, ubi rotatae naves deligatae sunt, quae adversum flumen subeunt, atque tollenonen ³² ad naves malis instruendas —qui ingentia onera ut pennas attollebat— moveri perspexi. * (sequar)

* Ex opusculo *Livret explicatif des Tableaux Delmas* (40 d.) E. ROCHELLE, p. 60. — Versio latina licentia EDITIONUM DELMAS prodit = jura proprietatis vindicantur.

Vocabularium

- aurae refrigeratio, *fresco*, *fraicheur*.
 agmen aquarum, *inmensidad de agua*, *immense nappe d'eau*
 2 caeli circulus, *horizonte*, *horizon*.
 3 vaporināvis, is (navis vaporaria) *buque de vapor*, *bateau à vapeur*.
 navigatio, onis, *travesía*, *traversée*.
 consistere in ancoris, *fondear*, *jeter l'ancre*.
 4 agger, ěris, m., *moles*, is, f., *digue*, *muelle*, *digue*, *quai*.
 10 submarinum (navigium), *submarino*, *sous-marin*.
 subduci (in aquis), *desaparecer*, *disparaître*.
 9 loricata (navis), *acorazado*, *cuirassé*.
 8 torpedaria, (navis), *torpedero*, *torpilleur*.
 torpedo, inis, f., *torpedo*, *torpille*.
 displosio, onis, f., *explosión*.
 insectans torpedaria, *contra-torpedero*, *contra-torpilleur*.
 6 celox-aerata, *crucero*, *croiseur*.
 12 oneraria, ae, *transporte*, *transport*.
 7 tormentaria (navis), *cañonero*, *canonnière*.
 11 liburnica, ae, *fragata*, *frégate*.
 solvere ancoras, *zarpas*, *lever l'ancre*.
 13 velifera (navis), *velero*, *voilier*.
 14 crepido, inis, f., *muelle*, *jetée*.
 navalia, ium, m. pl., *dársena*, *astillero*, *bassin*, *chantier*.
 16 remulcus (navis tractoria), *remolcador*, *remor*.
 17 ponto, onis, m., *chalana*, *chaland*. [queur.
 ostium, ii, n., *deseembocadura*, *embouchure*.
 fauces, ium, pl. f., *lengua de tierra*.
 munimentum, i, n., *batería*, *batterie*.
 15 propugnaculum, i, n., *bastión*, *fortificación*, *has*.
 machinator (artifex), *ingeniero*, *ingénieur*. [tion
 18 officina navalis, *astillero de construcción*, *chantier de construction*.
 receptaculum, i, n., *hangar*, *cobertizo*, *hangar*.
 deductio, onis, f., *operación de botar*, *lancement*.
 permitti suae fortunae, *ser abandonado a si*
 fluctuari, *flotar*, *flotter*. [mismo.
 19 exercitium, ii, n., *maniobra*, *manoeuvre*.
 praesidium, ii, n., *guarnición*, *garrison*.
 ludere exercitium, *hacer ejercicio*, *faire l'exercice*,
 20 ponticulus, i, n., *puentecillo*, *passarelle*.
 21 armamentarium, ii, n., *arsenal*, *arsenal*.
 22 tormentum, i, n., *cañón*, *canon*.
 23 granata, ae, *bala de cañón*, *boulet*.
 pyrobolus, i, *obús*, *obus*.
 24 fabrica metallorum, *fábrica metalúrgica*, *usine métallurgique*.
 25 caldarium, ii, n.; *caldera*, *chaudière*.
 27 moles fluitantes, *digue de carena*, *docks flottants*.
 28 helix, ěcis, f., *hélice*, *hélice*.
 29 carina, ae, *quilla*, *quille*.
 cessare, *holgar*, *flâner*.
 deligari, *estar amarrado*, *être amarré*.
 navis rotata, *barco de ruedas*, *bateaux à aubes*.
 32 tolleno ad naves malis instruendas, *grúa de arbolar*, *grue à mâter*.
 JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

In Mensem Marianum

*Ecce jam fuscum reboat per altum
 fulmen, et largi glomerantur imbres;
 jam sinus tellus resoluta, verna
 munera pandit.*

*Cuncta odoratis variantur herbis;
 cuncta festivo renitent colore;
 pulchrior Phoebus radians olympo,
 cuncta decorat.*

*Lucidum caeli jubet O Tonantis
 Sponsal florentem tibi monstrat orbis
 semitam laetus, placido ut vehare,
 Diva, triumpho.*

*Jam venis! salve...! referunt venustae
 virgines currum, volitantque circum
 dulce ridentes alitum catervae,
 dulce canentes*

*Muricem praebet Tyrius flagrantem,
 Indus et gemmas, nitida atque gestit
 serta divinam redimire frontem
 casta puella.*

*Nos, Parens Virgo, tibi non eoa
 dona, non gazam syriam sub aras,
 pura sed blando pietatis igni
 corda dicamus.*

THEODULUS VARGAS, S. J.

Colloquium

Petrus Romae Pontifex

PERSONAE: *Petrus Apostolus.* - *Fabius*, civis romanus

PETRUS - Salve, vir clarissime. Quota est hora, precor, quantumque ab urbe distemus.

FABIUS - Hora est undecima; en prope ab muris sumus; moenia, domus, palatia, sole occidente, suavi quadam luce tinguntur. Vides ergo «*Urbem quam dicunt Romam...*» Invisistin' eam?

PETRUS - Non invisī, civis; eam ignarus ingredior.

FABIUS - Ex modo loquendi sane longinquus homo videris. Licet mihi a te discere quo consilio in urbem advenias?

PETRUS - Eo scilicet consilio ut novae religionis fundamenta jaciam, unam ac veram et existimo et asseram; Deum item unum ac verum praeco indefessus praedicabo; maligni spiritus templa diruam.

FABIUS . At tu, oro, quis sis, undenam venias. Scire aveo.

PETRUS - Ex hebraeis sum quorum nomen, facta, mores, detestamini. Ad lacum Genezareth natus; Simon vocor; a Christo Deo cujus vicarius sum cognomen Petrum accepi, nam sanctae religionis petra subaediana ero et fundamentum.

FABIUS - Insueta ac mira dicis. Esne fortunae copiis egregie ornatus? ducisne exercitum magnum?

PETRUS - Minime vero; piscandi munere ad lacum fungebam; at quodam die Jesus, —hoc Deo, cujus gero vices, nomen est—, in posterum, inquit, hominum eris piscator. Factum memoria teneo eoque delector... Jesum magis-

trum, cum edocere incepisset, turba, incredibili quo flagrabat audiendi studio, quocumque sequebatur, urgebat. Ad lacum vero cum, turbis comitatus, accessisset duas vidit naviculas ad terram retinaculis deligatas. Piscatores enim ad ripulam retia lavabant. In meam scapham ascendit, paulum e terra secedere rogat, sedendoque turbas de navicula docet. Cum vero finem loquendi fecit, Simon, inquit, duc in altum, laxate retia vestra in capturam. Cui quidem: Praeceptor, respondi, per totam noctem laborantes nihil cepimus; verbo autem tuo laxabo rete. Res mira! Rete enim foras educto piscium multitudine rumpebatur ita ut duae illae naviculae (alia quoque ut socios adjuvaret vocata) piscatu onustae paene mergerentur. Quod cum intuerer stupens procidi ad genua Jesu his clamans verbis: «*Domine, recede a me, peccator sum*». Mihi vero Jesus: Noli timere. Jam inde homines capies. Ratibus ad terram deductis, omnibus relictis, et ego et socii Jesum secuti sumus.

FABIUS - Verbis tuis animo commoveor; at amplius si non aegre feras, quaeram a te: utrum scilicet ad istam, quam dicis religionem instituendam prius graecorum scholas obieris, eorum philosophiae perceperis disciplinam? Ita enim fert jam inde a majoribus consuetudo.

PETRUS - Litteras vix ac ne vix quidem a limine salutavi; ad scientiam vero Dei, duce et afflante Spiritu Sancto, celeri-

ter perveni; postquam enim Magister, id nobis intuentibus, in caelum nube circumfusus ascendit, cenaculo quodam in unum collecti, Spiritum Dei instar linguarum ignis accepimus quo verum tenere, sancta facere, fortia pati, variis loqui linguis, et rusticis et piscatoribus a Deo concessum.

FABIUS - At saltem, philosophe, novus iste Deus morum licentia plebem, arcana quadam disciplina nobiles cives erit comparaturus... Num Jove potentior, Socrate sapientior, Apolline pulchrior?

PETRUS - Ineptius est quam quod audietur, civis. Deus meus his omnibus longe superior, quamquam vita contemptus, morte contemptissimus.

FABIUS - Somnium mihi narras quo quidem maxima sum admiratione affectus. Ne graveris ergo me docere quis Deus tuus, quae vita, qualis doctrina.

PETRUS - Quandoquidem ita vis, faciam libentissime. Jesum diligo, colo, ab omnibus adoratum cupio. Jesum ergo stabulo natum scias; eum in praesepio jacentem pastores quidam, ab angelis vocati, adoraverunt itemque magi peregrini qui ex novo mirifico sidere Jesu nativatem didicerant. Paupertatem coluit, secretus triginta annos vixit. Antequam vero morti sese traderet —oblatus est enim quia ipse voluit—, turbas docuit, et humiles et egenos et mites beatos praedicavit, aegris verbo, tactu, valetudini restituit, mortuos suscitavit.

FABIUS - Jesus tuus miraculo erat omnibus; sine dubio erit nobis romanis.

PETRUS - Miraculo fuit simul ac vehementi dolori; optimates enim, quos inter

et romani, in Jesum concitaverunt plebis invidiam. Pontio Pilato procuratore tradidit semetipsum pro nobis, factus oboediens usque ad mortem, eamque crucis. O Magister bone! quanta pro nobis passus.

FABIUS - At, iterum, verisimile dicis? Cave fallas.

PETRUS - Hac in re non fallam, civis. Jesum novi, ter, hei mihi!, negavi; ter eum diligere confessus ab eoque oves universas, homines sc., pascendas accepi. Verbo pascam. Ad hoc, urbem, mundi caput, peto. Ecce ingredimur!

FABIUS - Orbis urbem magistram habet. Plurimi sapientes undequaque Romam confluunt, quin eorum ullus rem adeo insolitam aggredi visus. Ceterum, romani, crede, auri sacra fame, circi ludis, effrenata libidine dominantur. Frustra operam insumes: «Panem et circenses» plebem clamitantem audies; Deum cruci affixum illudent, verba despicient tua.

PETRUS - At hi romani Jesu crucifixi erunt praeda; religionem induco aeternam. Christus vincet, regnabit, imperabit. Quidquid non possidet armis, urbs religione tenebit.

FABIUS - At quid, oro, de Caesare?

PETRUS - Christi discipulos odio persequetur, dilaniandos feris relinquet, igni ferroque tradet, at regno tandem spoliabitur unumque assurget regnum Christi.

FABIUS - Insane! mortem non effugies!

PETRUS - Eamque pro Christo exopto! Sic Ei reddam supremum amoris pignus. At Roma, id memoriae manda, et Petri et subsequentium erit Christi Pontificum. Urbs Caesaris, urbs vocabitur Petri. CAROLUS E. MESA, C. M. F.

N. B. Die Sancti Thomae Aquinatis, omnium scholarum Angelici Patroni, in consessu litterario Barbastril apud nostrates habito, colloquium hoc quod lectoribus offerimus scaenae commissum fuit simul cum lepido illo «Calligraphi omnes» cujus auctor est Emmanuel Joaë C. M. F. conditor Palaestrae desideratissimus. Cfr. PALAESTRA LATINA, n. 65 - jan. et febr. 1941.

Bibliographia

Echauri Eustaquio. — «*Diccionario manual latino-español y español-latino*», 5.^a ed. p. 850. 15 x 10.

«*Crestomatia latina o Ejercicios de traducción latina*», p. 264. Edic. Atlas, Madrid, 1944.

Dictionarium latinum hispanum Dni. Eustachii Echauri denuo typis editum prodit. Eximias operis virtutes, omnes qui in manibus habuerunt, laudant: typorum scl. nitorem, mollis exiguam — in eo tamen omnes voces reperies classicorum scriptorum qui in aulis interpretantur —, linguarum cognitionem — latinae in primis — quae in clmo. Auctore perspicitur; accuratam atque subtilem diligentiam qua optime, exposite voces latinas hispanice vertit; selectas locutiones atque syntaxis adnotationes, quae passim apponuntur: quae omnia una cum dictionario hispano multis aucto vocabulis atque supinorum et nominum propriorum serie, opus reddunt aptissimum latinitatis alumnis atque cultoribus.

Alterum opus, quod *crestomatia latina* inscribitur, selecta complectitur fragmenta quae septem latinitatis cursibus proponuntur interpretanda. Scriptores sunt: Historia Sacra, Nepos, Caesar, Cicero (*pro Archia*) Titus Livius (*pugna ad Zamam*) Sallustius (*ex Jugurtha*) Horatius (*Carmina*) Vergilius (*Ecloga V et ex l. V et IX Aeneidos*) Catullus, Plautus (*ex Aulularia*). Opus appendicibus prosodiae et metricae completur. Utillissima apponuntur vocabularia in quibus plurima notantur quae ad phoneticam, ad derivationem, compositionem, etymologiam, quibus lectorum gratiam et delectationem sibi conciliat cl. auctor.

E. Loeffstedt. — *Syntactica, Studien und Beiträge zur historischen Syntax des Lateins*, I Teil, *Ueber einige Grundfragen der lateinischen Nominalsyn-*

tax 2.^a edit. p. XXV, 408 Lund, Gleerup, 1942.

Inter volumina a Regali Societate Humaniorum Litterarum Lundensi, *Syntactica* Dni. E. Loeffstedt merito X locum tenent, quae nunc secundo prodierunt.

Opus in duas partes distribuitur. quarum altera de concordantia et numeris est. altera vero de casibus: his apponuntur, duae appendices de negatione latina ejusque historica evolutione et de articulo in linguis romanicis.

Toto opere admirationem movent et solida doctrina et copia rerum uberrima ejusque apta digestio atque linguarum probata cognitio earumque inter se comparatio; veterum ac recentiorum scriptorum sententiae de unoquoque argumento exponuntur atque ponderantur.

Capita quae de plurali poetico et de comparatione genitivi possessivi cum adjectivo possessivo tractant in primis notatu sunt digna. Utillissimum et certe necessarium opus his qui syntaxi historicae incumbunt.

J. M. MIR, C. M. F.

F. A. E. — *Anuario de la Enseñanza privada en España*, p. 568, Escelicer, Madrid, 1944.

Annarius Institutionis privatae in Hispania denuo prodit, quem lectoribus nostris et magistris imprimis perutilem fore arbitramur. Primas partes in eo obtinent nobilissima de institutione catholica documenta, tum encyclicae litterae: «Divini illius Magistri», tum episcoporum mens et verba; tum leges nostrae optimo jure conditae, tum demum exquisitae Dni, Jos. Pemartin allocutiones, in quibus sententias intime catholicas demireris. Studiorum ordo et norma in Collegiis, Institutis, Academiis optime digeruntur et exponuntur; Collegiorum series, quibus significationum inscriptio

(*dirección*) apponitur et saepius tabula luce plecta; ac tandem opus complectur eorum descriptione qui in extremo bello ex Comitibus religiosi mortem subierunt. Lectoribus et Litterarum studio vacantibus Annuarium vehementer commendamus.

JOS. BAGARIA, C. M. F.

H. Petitmangin. — *Gramática Latina.* — (Para Seminarios, 1^{er} año de latín. Para Centros de 2.^a enseñanza 1.^o y 2.^o año) 90 págs

Ejercicios de Lengua Latina. (Para seminarios: 1^{er} año de latín. Para Centros de 2.^a enseñanza: 1.^o y 2.^o año), 282 págs.

Ejercicios de Lengua Latina Para seminarios: 2.^o año de latín. Para Centros de 2.^a enseñanza: 3^{er} y 4.^o año. - 334 p. - Edit. Pax. - San Sebastián, 1942-1943.

Petitmangin, clarissimus sacerdos idemque litterarum magister, Grammaticam latinam pensorumque libros composuit ut sex comprehenderet scholarum annos juxta Studiorum Rationem apud gallos vigentem. Exitus vero librorum is fuit qui et expertissimo ac doctissimo auctori et summae totius operis excellentiae conveniebat; qua de causa «Pax», domus editrix, cuidam perito Professori Seminarii Victoricensis notissimum opus vertendum commisit, quod egregie inceptum testamur. In Grammatica Latina 90 paginarum: (quam altera major absolutaque sequetur), simplices, nudaе, summae regulae continentur clariore modo quamvis minimis expressae typis; duobus vero *exercitorum* libris eas, quas alumni regulas didicerint, verbis, sententiis, plurimisque classicorum locis illustratas inveniunt. Narrationes seu fictae seu verae ex classicis depromptae prius simpliciore dicendi genere, deinde traduntur prout ab auctoribus exaratae.

Libros ergo clmi. Petitmangin et editos et edendos PALAESTRAE lectoribus commendandos arbitramur,

A. Jaspas - H. Th. Wilmet. — *Une première année de Latin*, 175 pag.; Maisson Wesmael-Charlier S. A, Namur, 1942.

Alfred Gaspar. — «*Un deuxième année de latin*», 242 pag., «*Avec vocabulaire séparé*», 140 pag., Wesmael Charlier, S. A. Rue de Fer, 69, Namur, 1941.

Jam quinquies editam hanc grammaticam in laudem cum auctoris tum libri existimo advertendum. Hanc vero editionem, ut auctorum in dies proficiendi studium appareat, nova quadam industria auctam emendatamque videmus, nam exercitia cuique lectioni seu regulis apposita in eum scopum tendunt ut vocabula omnia referant in scholis sequentibus adhibenda. Vocabula vero a Nepote et Caesare desumuntur, auctoribus in primo et altero cursu pro versione propositis.

Sententiae latinae ab alumnis vertendae simplici eoque eleganti sermonis ordine seu hyperbaton exprimuntur quo pacto fit ut discentes jam inde a studiorum initio classicorum vocabulis et orationibus imbuantur.

C. MESA, C. M. F.

Sánchez Aliseda - Prof. Casimiro. — *Prosa Cristiana - Antología de autores latino-cristianos.* — Introducción, selección y notas. — Toledo, Edit. Católica, 1943; 377 pág.

Cum novus ordo studiorum pro seminariis hispanis latus classicos christianos paganis adjungendos decernat, Sánchez Aliseda, cl. Prof. jam PALAESTRAE lectoribus cum laude notus excellentiora ex christianis ingenitis duobus libris quorum hic prior est, colligere festinavit.


Crebra ergo eaque erudita introductione circa christianas litteras anteposita, ex Actis Martyrum et Vitae Patrum amoena quaedam excerpit quibus accedunt fragmenta ex his clarissimis auctoribus: Tertulliano, Minutio Felice, S. Cyrilliano Episcopo, Lactantio, S. Ambro-

VINOS de MISA

J. DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)
Proveedores de Sus Santidades'
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

HIJO DE QUINTIN RUIZ DE GAUNA

Velas Litúrgicas para el Culto

Economía increíble usando mis velas especiales con el
CAPITEL GAUNA patentado.

LÁMPARA DE CERA «GAUNA» para alumbrado del Tabernáculo. de cuatro
días de duración. ¡LIMPIEZA ABSOLUTA! ¡TRANQUILIDAD COMPLETA!

V I T O R I A (Alava)

FOTOGRAFADOS

M. SOLANO



Aribau, 9, interior - Teléfono, 30255

BARCELONA

Lapiceros Mecánicos y de
cuatro colores

Plumillas oro 14 k.

y chapadas

Fornituras en General

Casa

Teflocan

PLUMAS Estilográficas

Ventas al Mayor

Fontanella, 10, 2.º, 2.ª

Teléfono 23750

BARCELONA

ENCUADERNACIÓN, EDITORIAL Y PARTICULAR

J. NAVARRO

MATILDE, 7

BARCELONA (G.)

TEL. 78193

En las compras haced referencia a PALAESTRA LATINA

slo, S. Hieronymo, S. Augustino, S. Leone Pont. Maximo. Quid pulchrius, dulcius, majus his invenire poteris?

Notulae subeunt ad calcem omnium fere paginarum; libro tandem, quod sane plaudendum, 46 argumenta pro exercitationibus scholarum scriptis proponuntur. I, libelle dulcissime, lectores mone, doce, delectare!

J. J. van Dooren. — *Ovide - Métamorphoses*. Morceaux choisis. Bruxelles, Edits. Lebègue, 1942; 100 pag.

Cl. Van Dooren Belgii scholaribus offert hanc Ovidii selectionem ex optimis criticorum editionibus decerptam. Notulae breves sunt et exquisitae; quae vero ad grammaticam referuntur eas omnes in quattuor post introductionem paginis congestas reperies. Index tandem virorum locorumque apponitur. «Collectionis Lebègue» opuscula ob mirum quo sunt artem confecta enixe commendamus.

Willem Albert. — *Virgile. - Les Bucoliques et les Géorgiques*. (Extraits). — Bruxelles, Edits. Lebègue, 1941; 83 p.

Hic liber a cl. Alberto Willem compositus juxta mirificam illam Plessis et Lejay editionem qua nihil dicitur accuratius, constat ex introductione satis erudita, ex selectione Bucolicorum et Georgicon quibus adnotationes grammaticales uno capite adduntur, index nominum, praecipuorum Vergilii editorum circa eundem poetae locum dissensiones.

Utinam qui libros pro scholis apud hispanos conficiunt, hanc ad legem conficiant.

C. E. MESA, C. M. F.

Sánchez Ramón, S. J. — *Pequeña antología Griega* (Lectura y traducción para principiantes) págs. 39.

En minuscula Anthologia, quasdam Aesopi fabellas et, ex Sancti Lucae Evangelio, excerpta complectens; typorum concinnitate enitet, totaque mire completo absolvitur vocabulario.

J. BAGARÍA, C. M. F.

Rev.-mo Domino Josepho M.-ae Mir, Alexander Weber s. P.

Velim credas me summo gaudio affectum esse, cum litteras Rev.-mi Domini, quae in PALAESTRA LATINA prodierunt, legerem, licet laudibus me dignum haud aestimarem. Nequit prohiberi, quominus occasione oblata utar eloquens observantiam meam erga PALAESTRAM LATINAM, ephemeridem plenam perfectamque, quam quis nesciat, Domino Rev.-mo optime moderante, edi. Non enim me fugit, quibus discriminibus atque difficultatibus conflictandum sit, ut commentarii singulis mensibus sub proelum mitti possint. At quo majores sunt labores manifesti, eo magis est conspicua laus, quam ab omnibus amatoribus et cultoribus Latinitatis meremini. Aegre tuli —sed Horatium secutus non sum admiratus— epistulam meam in cursu publico discipulis Alabonensibus missam perisse. spero tamen fore, ut has

litteras, eisque annexas alias in «Juventute» legere possis. Gratiam intimam pro epistula lectu jucundissima habens, Dominum Rev.-mum humiliter saluto.

Dabam Budapestini Kalendis Martiis.

ALEXANDER WEBER

Resp. — Te nobis amore devinctum maximo gaudio afficior. Benevolentiam vestram plurimum amo quod ad me mensis martii fasciculos misistis plures, doleo tamen nec Alabonae neque hic nos non accepisse fasc. julii et decembris a 1943, nec januarii, february, martii vertentis anni.

Adventne ad vos PALAESTRA?

Ut vos vestraque Dominus servet toto corde rogamus.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Curiosa et jocosa



80. MATER filio suo: Mirum! Te juvat tandem, vitae aquam bibere?

FILIUS: En primo miscebam aqua, postea sine aqua bibi; demum ad modum aquae bibo.

Impiger operarius...

81 Operis redemptor in foliis periodicis rogat: «Juvenem qui in officina decem saltem horis laboret in die». — Mane insequenti, Johannes operis redemptori convenit. — Qui, homuncule, ait, tot horas in officina laborare poteris? Cui Johannes: «—quidem, potui enim septem annos carcerem habitare».

Famis sagacitas

82. Potestne asellus fune trium metrorum fortiter alligatus caulem, ab eo distantem decem metra, manducare?

¿...?

—Potest certe, si funis nullibi alligatus est.

JOSEPHUS BAGARÍA, C. M. F.

Segedae

83. Alia miracula trina:

Triá nobis gubernanda: lingua, natura difficilis, omnesque actus.

Triá vitanda: mendacium, pígrítia, morumque asperitas

Triá colenda: amicitia, gaudium, laetitia.

Triá pro despectissimis habenda: ingenium inhumanum, vile atque ingrátum.

Triá admiratione digna: acies ingenti, pulchritudo ac musice.

(1) Nomina eorum qui aenigma et deverticula extricaverint in PALAESTRA prodibunt.


Triá digna quae sint in desiderio omnium: quod est purum, quod est probum, quod est verum,

Triá quae aestimaturi sumus: salutem, pecuniam, tempus.

Triá quae veneraturi: senes, legis mandata, Deum

GREGORIUS VENA.

Segontiae.



84. Nonne placet latitans aenigma resolvere, lector?

En ergo praesens, quod si cognoscere tentas/obliquo scito tantum esse tibi aspiciendúm

CANDIDUS M. PALACÍN, C. M. F.

Celsoanae

e 2.º c. lyceali

Deverticulum (rompecabezas)

85. Ego sum materiae modus,

Nec certe liquens,

Nec solidus vere,

Sed magnam vim habeo.

Si litteras loco mutas,

Vim majorem metu praestas mihi.

¿..?

JACOBUS ROSSÍCH, C. M. P.

e 4.º c. lat.

86 Tempore principium habeo.

Deinde pergo in medium Dei,

Unde rapide Tarraconem descendo,

Et postremo in mari morior (1)

¿...?

JOSEPHUS GARCÍA, C. M. P.

Barbastrí

e 4.º c. latinitatis